

mihi (*a*) Juliano Præbenda ipsius D. Jacobi per D. Odolricum de Ragonia, & per Capitulum prædictæ Ecclesiae Civitatensis. Et Mansionaria mea prædicto die data fuit Johanni fratri meo.

Item ego (*b*) Johannes celebravi primo Missam nono die, Majo, currente Dominica per C. anno Domini M. CC. XCIV.

Item eodem anno facta fuit fenestra apud Majus Altare, XI. die exeunte Novembri: & fuerunt factæ in S. Donato, & sub Confessione in illis diebus ante quatuor, vel quinque.

De verrâ illorum de Castello, & de Zuccula.

Anno Domini M. CC. XCIV. die decimo intrante Novembri, D. Artuycus de Castello cum adjutoribus suis, scilicet D. Federico de Varmo, D. Symone Cucanea, illis de Pulcinichio, D. Francisco de Rivarotta, & forsitan aliis, deprædatus fuit D. Johannem de Zuccula occasione bonorum quondam D. Valteri-pertoldi de Spengynberch; quia ipse D. Artuycus volebat medietatem propriorum tam Castellorum, quam etiam familiæ; eoqua uxor ipsius D. Artuyci tantum fuit D. Valteroper-toldo, quantum D. Johannes de Zuccula. Verfaque vice D. Johannes de Zuccula, facta sua congregatione, videlicet cum omnibus illis de Villalta, de Prata, de Rifiemberch, de Prampercho, D. Johanne & D. Utulino de Portis, & aliis quampluribus; & ceperunt deprædare ipsum D. Artuycum, & suos adjutores pro posse similiter. In adjutorio vero ipsius D. Johannis miserunt Tergestini bene ducentos pedites, qui venerunt in Civitatem, & iverunt Zucculam, undecimo die intrante Decembri. Et tunc die tertia subsequenti, scilicet in Festo S. Luciæ, ipsi Pedites cum illis de Villalta, de Prata, de Prampercho, de Rifiemberch, & de Petra-pelosa, & cum filiis D. Alquini de Varmo, unusquisque cum toto posse suo, intraverunt villam Fagedis; qua D. Odolricus de Cucanea exivit eis obyiam cum XI. & munitionibus eis patefactis, & referatis, intraverunt una cum eo villam prædictam: & ceperunt Dominos Thomasium-Varnerum Canonicum Civitatensem de Cucanea, Artuycum filium D. Francisci de Serval. Vidotum de Fagedis, & alios. Et duxerunt eos ad Spenginberch, & eos illic in vinculis tenuerunt præter D. Thomasium, qui dimissus fuit precibus Communis Civitatis, necnon bonis securitatibus factis super hoc, quod partim adjuvaret in dicta verrâ. Deinde incepserunt omnes combure domos Massariorum, vites roncare, & etiam homines capere, qui erant de parte; & facere omnia mala. Venit autem in subsidium D. Artuyci de Castello D. Gyrardus de Camino cum magna multitudine hominum, equitum, & peditum, necnon & curruum: & obfedit Castrum illorum de Villalta nomine Variani, VIII. die intrante Aprili, cum omnibus illis qui erant de parte. Quod quidem Castrum cum machinis & aliis ædificiis expugnabant. Sed videntes intrinseci, quod se defendere non valebant, eis ipsum Castrum dedecrunt die tertio subsequenti, tali pacto: quod salvi & sani ire deberent cum omnibus bonis, quæ accipere voluerunt de ipso Castro. Quod ita factum fuit. Deinde die crastina D. Dietalmus de Villalta timens, ne ipsum Castrum diruerent, & ne sub Villalta venirent ad runcandum & destruendum, venit ad loquendum D. Gerardo de Camino: & dixit, quia volebat tractare de concordia & pace, si posset; & ita siluerunt partes, & fe-

(*a*) Hic Julianus primus est ac præcipuus hujuscce Chronicæ Auctor. (*b*) Alter Chronicæ Auctor est Joannes, fra-

cerunt trevas. Et finaliter fuerunt concordes hoc modo, In vigilia S. Georii; quia Castrum Variani restitutum fuit illis de Villalta: & illi, qui fuerunt capti Fagedis, dimissi fuerunt hoc pacto etiam habito; videlicet, quia D. Artuycus de Castello elegit duos suos amicos, Dominos Leonardum de Barzacho & Franciscum de Rivarotta; & D. Johannes de Zuccula elegit D. Henricum de Prampercho, & D. Quoncium de Civitate pro suis amicis. Et quod isti quatuor deberent videre jura utriusque partis usque ad Festum S. Petri. Et si eos concordare non possint, debeant ipsi quatuor eligere unum quintum amicum: & si non possent de quinto amico eligendo se concordare, tunc ille de Zuccula deberet facere restituï Castrum de Variano illi de Castello: & ille de Castello debebat illos, qui fuerunt capti Fagedis, similiter facere redire ad Spengynberchum, ut prius fuerant, in carcere: & hoc sub pena LX. Marcharum de bono proprio ad usum Curiæ, devenienda parti quæ predicta observaret, si concordes esse non possent, ut dictum est. Et de attendendis, & observandis omnibus supradictis factæ fuerunt bona securitates per ipsas partes, una allii, & instrumenta. Et factæ fuerunt trevæ inter eos usque ad Festum Purificationis S. Mariæ sub pena mille Marcarum. Et omnia hæc facta fuerunt super ripam Cormon, presentibus D. Raymundo Patriarcha, & D. Girardo de Camino, & aliis pluribus Nobilibus.

De cassatione Canonicorum electorum Civitatensium.

Anno Domini M. Ducentesimo Nonagesimo sexto Indictione nona, Ven. Pater & D. Raymundus Patriarcha, die X. intrante Januario, in Palatio Aquileiensi, cassavit omnes electos, & receptos in Canonicos Civitatensis Ecclesiae, quia non erant confirmati per Curiam Romanam, vel per ipsum Patriarcham.

De electione, coronatione, & renunciatione olim F. Petri in Papam Celestimum V. electi.

Anno Domini M. CC. XCIV. (*c*) Indictione VII. F. Petrus de Murone electus fuit in Papam Celestimum V. die XII. intrante Julio, Cardinalibus existentibus apud Perusium, & coronatus apud Aquilam Civitatem Terræ Abruciæ, VIII. die intrante Septembri. Qui Papa Celestinus eodem anno die XII. intrante Decembri renunciavit in manus Cardinalium Papatui Neapoli.

De electione Bonifacii Papæ. (d)

De fossatu burgi S. Petri.

Anno Domini M. CC. XCVII. die V. exeunte Januario, fuit inceptus fossatus burgi S. Petri fodere.

Anno prædicto Henricus filius D. Alberti Comitis Goritiæ disfidavit Rev. Patrem D. Raymundum Patriarcham Aquilejensem die XIII. intrante Januario, cum esset Aquilegiæ Patriarcha prædictus: & fecerunt uterque inter se magnum damnum.

De Militia D. Henrici Comitis Goritiæ, & aliorum.

Anno Domini M. CC. XCVII. prima die Decembri Rev. Pater D. Raymundus Aquileiensis Patriarcha fecit Milites D. Henricum, filium D. Alberti Comitis Goriciæ, cum quibusdam suis

Theo-
ter Juliani. (*c*) sic in Codice. (*d*) Desiderantur in Codice, quæ scripserat Chronicista.